

Kreis  
Paderborn

S 42

1276 März 18.

[2

Bischof Simon von Paderborn bestätigt die Stiftung einer Messe am Hochaltare des Domes und bestimmt die mit dem Benefizium verbundenen Rechte und Pflichten.

Simon Dei gratia Paderbornensis ecclesiae episcopus et capitulum Paderbornense tam praesentibus quam futuris perpetuam in Domino salutem. Quia ea quae ad cultum divinum augmentandum pertinent, favorabili debemus approbare consensu, missas quotidianas, quas Johannes cantor ad honorem beatae Mariae virginis et omnium Sanctorum et pro sacerdotibus et pro omnibus fidelibus defunctis ad maius altare ecclesiae nostrae celebrari constituit, tenore praesentium approbamus, confirmamus et perpetuamus. Recognoscimus etiam, quod W(alterus) felicis recordationis, qui tunc pro tempore fuit custos ecclesiae nostrae, cum consensu H(enrici) decani et J(oannis) cantoris dictas missas et beneficium ad hoc pertinens commisit et libere contulit B. sacerdoti officio et moribus commendato, ita videlicet, quod idem sacerdos missam ad maius altare secundum ordinationem dicti cantoris celebrandam cum indumentis et necessariis ad chorum pertinentibus ante Primam et post Primam celebret, dummodo divinum officium in choro ex hoc impedimentum non habeat, non ultra consuetudinem retardet. Praefatus etiam sacerdos aut cuicumque thesaurarius

ecclesiae nostrae, qui pro tempore fuerit, dictam missam quotidianam celebrandam commiserit, ex quo vadat cum processione festivo tempore tanquam alius presbyter ecclesiae nostrae per altare beneficiatus non debet esse adstrictio ad serviendum in choro pro tam tenui beneficio, nisi propter hoc eidem fiat aliqua consolatio specialis. Parentes igitur H. et B. post mortem eorundem dederunt B. presbytero filio suo praenominato eidem beneficium sibi porrectum curiam Budenemen, si idem presbyter necessitate urgente medio tempore non expendit firmiter possidendam, ea tamen conditione, ut si saepedictus presbyter B. in suo permanserit beneficio, temporibus suae vitae praedicta bona post suam mortem ad praedictum beneficium cedant in anniversarium suarum omnium animarum vel si sponte vel amotus vel quocumque modo idem presbyter a suo recesserit beneficio, ipsum sequentur praedicta bona nostri capituli cum consensu. Actum et datum anno Domini MCC septuagesimo sexto XV Kal. Aprilis.

Abchrift des 18. Jhdts. Nicht im B. U.-B. IV.